

## Adtentencias paar

per hoc Sacramentum non adipiscuntur gloriam, qui indecenter illud suscipiunt. Præterea nihil inconuenit, quod causa instrumentalis producat potiore effectum. Vnde nihil prohibet, quod Sacramentum hoc, quod instrumentaliter operatur, producat potiorē effectum, qualis est, videre Christum in gloria in propria specie, quàm videre eum hic in Sacramento sub aliena specie, vt est in hoc Sacramento. Ac deniq; doceat omnes effectus, quoscibus corporalis præstat circa corpus, hoc Sacramentum proportionabiliter præstare in anima, vt expressè docet Concilium Florentinum. Vnde sustentat, auget, reparat, & delectat. Primo, quia sicut cibus corpori communicare solet suas aut sibi similes qualitates, & reali tactu, & coniunctione cū gustu refectionem, & delectationem, vt Manna habebat omnem saporis suauitatem, vt dicitur Sapientię. 16. & Ioannis. 6. Secundo quod sapit, nutrit, & cibus nutriendo sustentat & reparat, quod nociuo calore absumptū fuerat. Tertio auget vsq; ad debitum statum incrementi. Similes effectus proportionem quadam præstat vitalis cibus Eucharistię. Nam dum traicitur reficiendo gustum corporis,  
Præ